

tis, sed operis, non tollit jus divinum simpliciter, sed secundum quid, retinetque radicem, unde possit ipsam extensionem finalizationis, et causalitatis divinæ resarcire; atque adeo non lædit jus divinum proprie, et simpliciter, sed secundum quid, id est, secundum quemdam modum, seu extensionem.

XIV. Et ad ultimum; ergo qui actu non ordinat, facit contra aliquod jus impediendo illud, quoad extensionem, et modum aliquem, concedo; tollendo ipsum jus, quoad principalitatem, et radicem ejus, nego. Manet enim jus, divinum quoad hoc, quod habetur pro fine ultimo ab ipso operante, in quo radicaliter est tota ratio divini juris, licet non maneat extensio, qua Derivatur in actum, ut actualiter referatur in ipsum finem in ratione actus. Unde quamdiu non tollitur jus supra ipsum operantem, sed tantum retardatur, et impeditur ne exeat in opus, non tollitur jus a Deo, etiam quod habet, ut opus ad se referatur actualiter, quia ibi manet radicaliter hoc jus, quamdiu ei operans manet subordinatum, licet impeditum. Et ideo non requiritur quod aliqua persona cedat juri suo, ut ad æqualitatem satisficiat, sed quod retardationem istam tollat ex vi ipsius subjectionis ad Deum ex parte operantis, in quo radicaliter conservatur jus divinum, etsi non explicatur.

XV. Et ad instantiam Vazquez, quod vere est offensivum Dei peccatum veniale, et contra præceptum ipsius, respondetur esse vere offensivum et contra legem; non contra finem legis, neque contra amicitiam Dei, unde non fit Deo injuria simpliciter, et proprie, nec tollitur jus, sed solum inobedientia contra legem. Ut autem recompensetur inobedientia, quando solum fit contra

legem, et non fit proprie injuria legislatori, non requiritur persona infinita, quia non requiritur ad satisfaciendum persona, quæ cedat juri suo, qualis est divina, sed quæ subdatur per obedientiam, qualis est creata. Non habere autem ipsum pro fine ultimo in peccato mortali, est injuria proprie loquendo, quia quasi subtrahitur ab ejus dominio in genere causæ finalis, et rebellat contra Deum ponendo finem in creatura, juxta illud Job xxiv: *Ipsi fuerint rebelles lumini: Jeremiæ II: Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas.* Unde ad hanc injuriam tollendam requiritur, quod aliqua persona, quæ possit cedere juri suo satisficiat. Nulla autem creatura quantumvis perfecta cedit juri suo ex parte personæ humiliando eam; quin potius perficitur ex eo quod subjiciatur Deo, sed solum imperfecte subjiciendo illi actum per poenitentiam recompensat.

XVI. In peccato autem veniali, quia non tollitur jus finis ultimi, si quidem persona manet sub illo vere, et si non actu non requiritur ad æqualem satisfactionem, quod persona cedat juri suo, sed quod actus subjiciatur, et tollat retardationem, et impedimentum hujus juris. Nec sequitur æque nos satisfacere pro veniali atque Christus, quia etsi non esset necessaria ejus persona infinita ad satisfaciendum, semper tamen satisfactio erit perfectior, et abundantior ex parte personæ, et alias ex toto rigore. Nam quod dicit Vazquez efficacior esse propriam satisfactionem, quam Christi ad emundandum nos a peccato, sequenti disputatione confoditur.

XVII. Ad primam confirmationem respondetur facile, Deum vere, et proprie remittere peccatum veniale dando gratis pretium, quo reddatur

illi satisfactio, et reparatio illius per formalem gratiam sanctificantem, seu auxilium, non autem quia sine satisfactione illud remittat et hoc est remittere debitum æquivalenter: nam in idem recidit, quod debitori remittatur formaliter peccatum, et quod a creditore detur pretium, quo sibi solvat ad æqualitatem. Unde opera nostra sine gratia a qua procedunt, non haberent satisfacere ad æqualitatem pro veniali.

XVIII. Adde quod etiam de facto sæpe fit vera, et formalis remissio peccati venialis, quoniam scilicet ipse motus, seu actus ratione cujus remittitur, non est directe contra veniale, sed virtualiter tantum: tunc enim Deus supplet remittendo, quod actus non habet formaliter tollere, sicut in aspersione aquæ benedictæ, et aliis sacramentalibus docent peritiores theologi, infra quæstione LXXXVII.

XIX. Ad secundam confirmationem respondetur unico verbo, quod Deus potest non acceptare de facto illam satisfactionem, si consideretur ut supremus Dominus; non tamen si consideretur ut justus iudex, quia Deus ex suppositione talis satisfactionis debet necessario judicare, quod illa sit condigna respectu talis peccati, et ita non judicat insufficientem. Quia tamen est supremus Dominus omnis creaturæ potest non acceptare illam, non quidem jure iudicii, sed jure supremi dominii, ratione cujus etiam hominem justum (imo beatum) potest perpetuo privare gloria de potentia absoluta. Unde illa satisfactio, ut de facto acceptetur, indiget pacto, et lege Dei, non quidem favorabili, et supplente aliquem valorem in satisfactione, sed tamquam conditio applicans, et requisita, ut de facto non rejiciatur a Deo tamquam supremo Domino, quod nullatenus minuit condignitatem, et æqualitatem satisfactionis

in genere justitiæ, quia justitia diminuitur quidem ex eo, quod fiat mediante aliquo favore, et pacto extrinseco; non tamen ex pacto per modum contractus, qui antecedit ipsam operationem, non superveniat ipsi.

XX. Unde solvitur illa difficultas, quam sæpe, et importune inculcat Vazquez, quod si justificatio nostra, præter formam interius renovantem, requireret pro complemento pactum, et acceptationem Dei, illa forma non esset condigna ad justificandum, quia illa posita adhuc maneret aliquid, quod displiceret Deo, indigens pacto, et, et acceptatione ipsius ut remittatur. Sed ex dictis hoc facile explicatur. Nam in justificatione nostra (ut supra dictum est) requiritur quidem favor, et remissio gratiæ, non tamen superveniens gratiæ, sed causans gratiam, a qua ipsa gratia dimanat, ut effectus gratiæ dilectionis Dei, sed etiam in satisfactione omnino æquali illa acceptatio, seu pactum dicitur esse complementum, non ad præstandum dignitatem, et supplendum valorem, qui desit illi formæ, sed ut applicans ipsam condignam satisfactionem, ne rejiciatur a Deo; sicut laborans in vinea facit actum condignum mercede, et tamen nisi fiat pactum tamquam applicatio illius laboris ad conductum, non tenetur illud solvere ex justitia, non quia id requiratur ad supplendum valorem, sed ut applicatio, ut de facto solvatur ex justitia, sed de his alibi.

DISPUTATIO II.

DE SATISFACTIONE DEI HOMINIS.

I. Tria sunt, quæ præcipuam difficultatem faciunt circa satisfac-

tionem Dei hominis. Primum, unde habeat valorem sufficientem ad satisfaciendum pro injuria peccati: secundum, an sit satisfactio, non solum perfecta ex parte valoris, sed etiam ex toto rigore justitiæ: tertium, a qua virtute eliciatur talis satisfactio. Et ideo de singulis difficultatibus singulos articulos instituemus.

ARTICULUS I.

Utrum valor satisfactionis Christi habeat infinitatem intrinsecam desumptam a supposito?

I. Hæc difficultas procedit de valore desumpto ex parte principii quod, seu suppositi. Et supponendum est principium quod actionum esse ipsum suppositum, seu personam, non autem naturam, licet tamen Vazquez hic disp. viii, cap. ii, contendat humanitatem Christi non solum in concreto, sed etiam abstracte significatam esse principium quod satisfactionis et non solum principium quo; non tamen humanitatem nudam, sed ut deificatam, seu sanctificatam, et unctam divinitate, ex qua sanctificatione accipit valorem satisfaciendi tamquam ex forma non tamquam ex principio proximo quod operationum.

II. Nec possumus autem immorari in hac opinione impugnanda, sed breviter æquivocatio ejus aperienda est, quia fortassis solum in verbis, et modo loquendi ludificat. Oportet enim explicare quid intelligat Vazquez per principium quod, et principium quo; ex horum enim definitione, et declaratione tota difficultas solvitur. Nos enim secundum communem sensum philoso-

phorum intelligimus per principium quod, principium operans tamquam totum quoddam terminatum, et subsistens in se: principium autem quo, ipsam formam, ratione cujus fit operatio. Sicut enim se habet aliquid ad esse, ita, et ad operari, quia operari sequitur esse; videmus autem, quod illud habet esse ut quod, quod est totum, subsistens; illud autem habet esse, ut quo, quod est forma dans esse, sicut calor, et calidum; nam calor est forma, qua aliquid redditur calidum; calidum autem est ipsum subjectum recipiens calorem, habensque illum incommunicabiliter. Ac proinde tunc significatur aliquid ut quo, quando significatur ut pars informans, et communicabilis; tunc autem ut quod, quando significatur ut totum, non amplius communicabile, atque adeo terminatum, et subsistens.

III. Et de hoc videndus est S. Thomas 2-2, quæst. LVIII, articulo ii, quod actiones proprie sunt suppositorum, et totorum, non autem partium, et potentiarum, seu formarum, et iii part. quæst. xxxv, art. ii, et quæst. xx, art. i ad secundum, et quæst. XLVI, artic. XII. Et hac ratione in divinis ex diverso modo significandi, non dicimus quod deitas generat, seu quod Deus generat, et qui ponunt quod in Deo datur subsistentia absoluta, ideo id ponunt quia deitas est non solum principium quo, sed quod operationum ad extra, et incommunicabilis alteri supposito extraneo, quia nihil potest significari ut quod nisi significetur, ut subsistens.

IV. Ex hac ergo communi, et usitata forma loquendi infertur manifeste, sententiam Vazquez esse omnino falsam, quia humanitas nullo modo est subsistens, nisi per subsistentiam Verbi, ut fides docet; ergo nullo modo significari potest, ut

principium quod, nisi mediante Persona Verbi: cum autem humanitas significet solum id, quod est naturæ creatæ, et nullo modo id quod subsistens est (fatetur enim fides quod Verbum assumpsit humanitatem, et negat quod assumpsit subsistens, seu personam) impossibile est quod humanitas se habeat, ut principium quod operationis humanæ, sed principium quo respectu ipsius suppositi, seu personæ in qua talis natura subsistit.

V. Si autem velit dicere Vazquez, quod humanitas, et natura, etiam ut non subsistens, potest dici principium quod, quæstio est de modo loquendi, et male confundit communes terminos loquendi apud philosophos, qui distinguunt principium quod, et quo, per hoc quod unum significatur, ut totum, et subsistens; aliud significatur, ut forma, et ratio, seu quasi pars, qua aliquid est tale. Et quando patres dicunt, quod humanitas satisfecit, et quod, secundum quod homo Christus vicit mundum, et in forma servi redemit nos, et similes alias locutiones, nunquam excludunt suppositum, seu subsistentiam, sed explicant principium proximum quo, et formam, qua fit talis operatio, non excludendo suppositum: sicut dicimus, quod calefacit non excludendo subjectum calidum, sed supponendo: redemit ergo nos in forma servi: satisfecit in quantum homo: meruit secundum humanitatem, non tamen id quod satisfecit, meruit, et redemit, ut quod est humanitas, sed Verbum per humanitatem. Sed de his non est cur amplius tempus teramus, cum sit receptissimum inter philosophos, quod actiones sunt suppositorum; nec in principiis adeo manifestis disputatio est admittenda. Videatur D. Thomas infra quæst. XIX, artic. I, et

quæst. XLVI, artic. XII, et magister Alvarez hic disput. III.

VI. Non tamen relinquam advertere contra Vazquez, quod ex ejus sententia (si in hac parte nobis differt) inconvenientia maxima sequantur. Nam fides aperte docet Verbum, seu divina Personam operationes humanas exercuisse in natura assumpta; nam Filius Dei natus est, et passus pro nobis, ut in symbolo confitemur, et hoc non solum per communicationem idiomatum, sed tamquam persona vera, et propria illius naturæ; sicut enim persona Petri ambulat, patitur, et agit, sic persona illius hominis ambulabat agebat, et patiebatur, non autem erat alia persona, quam divina, persona autem non est principium quo, sed quod, cum sit ipsum totum, non forma, seu natura. Si ergo humanitas erat etiam principium operans ut quod, erant in Christo duo operantia ut quod, scilicet Persona, et humanitas; ergo erat aliud, et aliud; nam si humanitas erat principium quod, et humanitas realiter distinguitur a Verbo; ergo erat aliud a Verbo, eo modo, quo erat principium quod distinctum a Verbo.

VII. Dicere autem quod in Christo est aliud, et aliud neutraliter, est error illorum, qui ponebant in Christo duo supposita, et unam personam, quod maxime accedit ad hæresim Nestorii. Et in se est hæresis damnata ab Ecclesia, ut S. Thomas affirmat infra quæst. XVII, artic. I, et quæst. II, art. III; ergo vel Vasquez debet concedere, quod sunt duo principia quod, et consequenter quod sunt duo neutraliter, et aliud, et aliud; vel sentire nobiscum, quod Verbum non est principium quod, sed humanitas, et sic Verbum non agit, neque patitur. Vide Nazarium hic controversia III.

VIII. Hoc supposito quatuor hic se offerunt explicanda. Primum est, an valor infinitus conveniat actionibus Christi: secundum, an intrinsece conveniat; an solum denominatione aliqua extrinseca: tertium, a quo principio profluat immediate ille valor; an a supposito, vel a gratia, seu sanctificatione animæ: quartum, quomodo suppositum concurrat ad illam infinitatem præstandam. Ut autem harum quæstionum clarior resolutio breviter haberi possit

IX. Considerandum est, quod actus ab eisdem principiis potest habere valorem, et perfectionem, a quibus habet esse; nam qui dat esse, seu formam, dat perfectionem, et consequentia ad formam. Pendet autem actus humanus, et moralis præcipue a duobus principiis, scilicet a subjecto elicente, et ab objecto specificante, in quo aliæ causæ continentur: nam finalis ex parte objecti involvitur, et materialis ex parte elicentis se tenet, cum recipiatur actus in principio a quo elicitur. A quatuor autem causis pendet quicumque effectus, seu actus, et ab illis perfectionem, et valorem sortitur, sicut et esse.

Secundo, supponendum est intrinsece, et realiter dependere actum ab istis principiis: licet enim ipsa extrinseca sint actui, ordo tamen ad illa, et dependentia actui ipsi intrinseca est. Sic enim videmus, quod potentia, habitus, et actus realiter, et intrinsece pendent a suis objectis, ab illisque accipiunt perfectionem, et specificationem, et omnis effectus pendet realiter a suis causis, etiam extrinsecis, habetque ordinem, et relationem ad illas. Sic ergo in satisfactione, et actibus Christi Domini, qui mediante humanitate fiunt, et invenitur ordo realis ad objectum, a quo specificantur, et ad principium a quo pro-

cedunt. Concurrit autem duplex principium scilicet quod, et quo, et adhuc in principio quo est diversitas, quia et ipsa natura, seu forma substantialis, et potentia, et habitus sunt principia quo inter se subordinata, et unum se habet, ut virtus, et quasi instrumentum alterius, et ad omnia illa dicit ordinem actus egrediens ab illis, quia realiter ab illis causatur. Principium autem quod, est unum tantum, scilicet ipsum suppositum, quod non influit in actum per distinctam causalitatem, aut influxum ab ipsa natura, sicut nec per distinctam virtutem, sed ex ipsa natura cum suis potentiis, et ex supposito fit unum operans integrum, et totale, ita quod ipsum totum, seu ipsa persona est operans; et natura, seu forma, aut potentia est, id per quod operatur: sicut homo operans per manum, et ipsa manus operatur et homo, pendetque motus realiter ab utroque, non tamen per distinctum influxum, sed homo, et manus eadem actione operantur sicut eadem virtute et potentia, homo tamen ut quod, et manus ut quo.

X. Ultimo, supponendum est quod in actionibus Christi, quæ procedunt ab humanitate, non datur infinitas aliqua physica, neque ex parte objecti formalis specificantis, neque ex parte principii quo, aut virtutis, neque ex parte alicujus physicae entitatis superadditæ actibus, supponimus enim omnia principia quo in humanitate Christi esse finita physice, et entitative; nam de ipsa natura, seu substantia humana, constat finitam entitatem esse, cum sit creata substantia: similiter, et potentia, quæ sunt propriae passionibus ab illa dimanantes, ut intellectus, et voluntas; habitus etiam ei superadditi ut gratia, et virtutes infusæ, aut acquisitæ, quia gratia non fuit infinita intensive in Christo, et enti-

tative, ut determinat S. Thomas infra quæst. VII, art. XI et XII, licet in esse gratia infinita dicatur, quatenus conjuncta est suo principio proprio, sicut lux solis conjuncta est proprio principio lucis, et calor ignis proprio principio caloris: neque enim datur aliqua infinita qualitas categorematicè producta de facto a Deo.

XI. Unde sequitur, quod cum omnia principia humanitatis productiva actionum sint finita physice, et entitative, ipsi etiam actus finiti sunt physice, quia suppositum Verbi cum operatur mediante natura humana, et operationes humanas producit, non tribuit illi aliquam physicam entitatem, quæ non egredietur ab ipsis potentiis, et virtute naturæ humanæ. Neque enim suppositum efficienter physice influit in operationes aliqua influentia, quæ non sit mediante virtute ipsius naturæ, cujus est suppositum. Et multo minus id verificatur in Verbo divino, quod nullam potest habere efficaciam in operationes humanas, non mediante natura humana, et virtute ejus ut principio quo, nisi talis efficacia, et influxus sit communis toti Trinitati, quamvis esset influxus, et operatio ad extra quæ omnibus Personis communis est, utpote egrediens ab eadem omnipotentia.

XII. Quare divinum Verbum non aliter influit ut suppositum humanitatis, nisi terminando ipsam naturam, et constituendo totum, quia media tali natura, et virtute ejus operatur, non seorsum. Unde patet ulterius, quod non superadditur operibus Christi aliqua entitas, seu formalitas infinita; nam entitas ista, seu formalitas, aut est aliquid receptum in ipsis actibus, eisque inhærens, et conveniens; vel non. Si non est in ipsis; ergo non manent ipsi actus, et satisfactio physice in-

finita per talem entitatem; si quidem in ipsa non est, et consequenter non reddit illam infinitam: et ad quid ponitur talis entitas infinita? Vel ubi ponitur sic satisfactionem, et actus non reddit infinitos. Si vero in ipsis recipitur: ergo recipitur ad modum recipientis, atque adeo si recipiens est finitum, scilicet ipse actus, etiam illa entitas seu formalitas. Et rursus egredi debet, et emanare cum ipso actu a suo principio quo; ergo non potest esse magis infinita physice, aut metaphysice, quam ipsemet actus egrediens. Quare seclusa omni infinitate physica quantum ad entitatem in actibus Christi, respondendum est difficultati primæ positæ.

XIII. Ad primam difficultatem respondeo, non esse dubitandum quod valor actionum, et satisfactionis Christi sit infinitus infinitate morali, et satisfactiva. Hæc conclusio post extravagans Clementis VI negari non potest absolute loquendo. Et quidem Scotus, qui pro contraria parte citatur, et scripsit ante Clementem, non absolute negat omnem infinitatem in merito Christi; sed in III, distinct. XIX, quæstione unica, §. In ista quæstione, determinat quod meritum Christi in se formaliter non fuit infinitum, etiam per respectum ad suppositum, quia omnes respectus ejus erant finiti (quod est dicere fuisse finitum physice, et entitative) addit tamen, quod ex circumstantia suppositi, et ex congrua ratione ejus habuit quamdam rationem extrinsecam, quia Deus potuit acceptare illud in infinitum, scilicet pro infinitis extensive. Unde differentia Scoti ab aliis non est in negando infinitatem absolute; sed in modo ponendi illam, scilicet secundum extrinsecam rationem, vel intrinsecam, quod parum differt a modo, quem postea explicamus. Joannes de Medina